



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus VIII. De Concessione Præbendæ, Et Ecclesiæ Non Vacantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

pra Francum hinc 3. nam actus electionis, & praesentationis in eum tendit, qui jus non habet, ideoque est species donationis, seu donationis gratuita; at verò commendare beneficia (altem ad tempus, donec Episcopus electus, & confirmatus sit, Capitulum non prohibetur, cum sit actus quidam jurisdictionis, seu administrationis necessariae. Ita Joann. And. in c. 2. n. 3. hoc tit. Francus hic in fine. Videri potest idem Francus in c. unico, de majoritate, & obedientia in sexto.

2. Notandum secundò. Aliud est praesentati admissio, & aliud institutio. Ita Gl. hic communiter recepta. Diversimodè tamen Doctores id explicant. Nam Joannes Monachus, & Andreas hic tradunt, nomine admissionis intelligi receptionem, seu approbationem, tituli que traditionem; nomine autem institutionis intelligunt corporalem in beneficium introductionem: quo sensu videtur etiam loqui Trid. sess. 7. c. 13. de reformatione. At verò Archidiaconus, & Anhotanus not. 2. Francus n. 2.

ajunt, admittere aliud non esse, quam ad examen recipere; instituere autem, jus de titulum tribuere.

CAPITULUM II.

Si is.

PARAPHRASIS.

Si Patronus ad beneficium parochiale vocans Clericum praesentet, qui in sacris Ordinibus non est, is repelli non debet, dummodo alioquin idoneus sit, & intra annum Sacerdos fieri possit.

Notandum. Clericus in minoribus ad parochiale beneficium promoveri potest, dummodo intra annum sacerdotium suscipere queat. Consentit c. licet 24. de electione in sexto. c. praeterea 3. de elec. & qualitate &c. & dixi de hoc in c. cum cunctis 7. §. inferiora: de electione. Necessarium tamen est, ut vigesimum quartam aetatis annum compleverit juxta cit. c. licet, & cit. c. cum in cunctis. & notant hic Dominicus & Francus n. 1.

TITULUS VIII. DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIAE NON VACANTIS.



hic titulus ideo hoc in loco ponitur, ut intelligatur Ecclesiasticorum beneficiorum collationem, institutionem, & uno verbo concessionem faciendam non esse, nisi cum ea vacant.

CAPITULUM I.

Qui in vivorum.

PARAPHRASIS.

Qui in locum Sacerdotum adhuc viventium se substitui permiserunt, ab Ecclesiastica communione removendi sunt.

Ita ex Gelasio Papâ refertur. Paululiter decreverat Gregorius I. Pont. in Epistola ad Natalem Salonitanum Episcopum, relatus à Gratiano cap. 40. cap. 7. q. 1. Eum, qui contra justitiam in Archidiaconatum alterius se provehit, consensit, ab ejusmodi Archidiaconatus honore deponimus; qui si ulterius in loco eodem ministrare presumpserit, se participatione communioneque cræ noverit esse privatum.

SUMMARIUM.

Non potest beneficium, quod unius est, si nondum vacet, alteri conferri, ut collatio non tantum irrita sit, sed

panam etiam excommunicationis, & inhabilitatis ad hoc beneficium incurrat, qui se institui permisit.

Notandum. Beneficium, quod unius est, non potest alteri conferri, cum duo idem beneficium habere non possint, c. tua. 20. de præbendis. Quare electio, collatio, vel institutio in beneficio non vacante, irrita est, consequenter institutus, seu provisus removeri debet; imò in pœnam, si scienter se institui fecit, puniri potest, ita, ut ipsi participatio Corporis & Sanguinis Christi secundum antiquos Canones ad tempus interdiciatur, juxta c. Inprimis 7. c. 2. q. 1. & dixi de hoc in lib. 5. tra. 5. c. 7. n. 3. Addit Abbas hic n. 4. quòd is, qui in beneficium non vacans scienter se institui permisit, non possit illud deinde impetrare, si vacet, nisi suam intrusionem, seu sacris Canonibus reprobam institutionem, atque inde contractam inhabilitatem expellerit, argum. c. super litteris 20. & c. postulasti 27. de rescriptis, ubi videri pollunt, quæ ibi docui, & in lib. 1. tra. 4. c. 12. n. 19.

CAPITVLVM II.

Nulla.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ ministeria, beneficia, & Ecclesiæ, antequam vacent, nemini vel conferri, vel promitti possunt, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se credit successurum: cum enim in ipsis etiam gentiliū legibus successiois pactio, vivente eo, cui succedendum, damnata sit, multò magis turpe, & non tolerandum censeri debet, si in Ecclesia parochiali futuræ successiois expectatio locum aliquem habeat. Cùm autem Ecclesiasticis præbendas, & officia quælibet in Ecclesia aliqua vacare contigerit, non diu maneant in suspensio, sed intra 6. menses personis ad hoc idoneis conferantur. Quòd si Episcopus, quando ad

eum collatio spectat, intra dictum tempus conferre intermiserit, ad Capitulum collatio ea vice devolvatur; sin autem ad Capitulum collatio pertineat, & intra tempus semestris conferre neglexerit, Episcopus, cum religiosorum seu Deuntinentium virorum consilio conferat. Sin autem utriusque neglexerint, Metropolitanus sine ipsorum contradictione conferre debet. Ita Concilium generale Lateran. sub Alex. III. c. 8.

SUMMARIUM.

1. Gratia expectativa sacris Canonibus adversantur.
2. Sicuti pactum, seu promissio de hereditate viventis non valet (nisi sub certis limitationibus) ita nec promissio beneficii non vacantis.
3. Debent tamen beneficia, si vacent, intra sex menses conferri, ad cavendam devolutionem (nisi circa certam quædam beneficia aliter statuantur) ita ut mora purgari non possit.

Notandum primum. Gratia expectativa, seu promissiones beneficiorum, dignitatum, & prælaturarum nondum vacantium sacris Canonibus adversantur. Contentit c. constitutus II. infra hoc tit. Trid. concilium sess. 24. cap. 19. de reformatione. & dixi de hac re l. 1. tra. 4. c. 10. n. 1. At verò beneficii vacantis collatio ab eo, qui conferendi jus habet, promitti potest; quia per talem promissionem non acquiritur jus in re, idè si alteri postea re ipsa conferatur beneficium, quamvis contra promissionem priorem, collatio valida conferri debet, argum. l. quoties 15. de rei vindicatione. & c. sicut 22. de sponsalibus, ubi dicitur, quòd sponsalia de futuro solvantur per sponsalia de præsentente.

Notandum secundum. Pactum, seu promissio facta de hereditate viventis non valet, tanquam, quæ bonis moribus repugnat. l. donari 29. §. donationem ff. de donationibus. & l. ult. c. de pactis, ubi dicitur

citur, quod omnes hujusmodi passionibus adesse esse videntur, & plena tristissimi, & periculosi eventus. Quare enim, quodam vivente, & ignorante, de rebus ejus quidam pacificentes conveniunt? Adde ex *L. 2. §. ult. ff. de his, qui ut indignis &c. si quisquam cognati viventis bona, aut partem bonorum in eventum mortis ejus donaverit, hæreditate tanquam indignam privandum esse.*

Limitari debet, prout in *cit. L. ult.* habetur, si is, de cujus hæreditate agitur, consenserit, & in eadem voluntate usque ad mortem permanserit, tunc valet saltem per modum donationis, mortis causa factæ. Quin etiam inter vivos donationem quis facere potest rei præstandæ in morte, seu post mortem suam, ita, ut executio donationis ab hærede fieri debeat. *L. unica. c. ut actiones, & ab hæredibus &c. & L. scrupulosam 11. de contrahenda stipulatione §. post mortem, & §. seqq. Instituti, de inutilibus stipulationibus & L. hæreditarium. 9. ff. de rebus auctoritate judicis possidendis.* ubi dicitur, quod stipulatio post mortem promissoris concepta facit esse debitum hæreditarium, quia ab hærede peti potest, licet à defuncto non potuerit, quia dies non cesserat.

3. Notandum tertium. Beneficia vacantia intra 6. menses conferri debent, alioquin devolutio fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versâ, ab his ad Metropolitanum, postea ad Pontificem, & ideo devolutio interposito 6. mensium spatio gradatim fit, sicuti explicavi *lib. 4. tra. 2. c. 11. n. 5.* Devolvitur autem facultas pro ea tantum vice conferendi ipso jure post tempus elapsum, ita, ut mora purgari non possit, nisi statim conferat collator. Prout dicitur in *s. qui s. hoc tit.* Et quod in hoc casu mora purgari non possit, dixi in *c. 3. de supplenda negligentia Prælatorum.*

Porro hæc constitutio locum non habet in Prælatibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium, in his enim vacatio ultra tres menses durare non debet, alioquin,

qui eligere debuerunt, pro ea vice privati existunt, & electio ad proximum superiorem devolvitur. Uti habetur in *c. ne pro defectu 41. de electione*, ubi id explicatur in *disp. de Prælatibus, c. 9.*

CAPITULUM III.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Clerici quidam acceperunt promissiones, seu gratias expectativas ad beneficia proximè vacatura, & posteaquam ea vacarunt, ad Sedem Apostolicam extrajudicialiter appellarunt, ne alijs conferrentur. Ad hoc respondet Alexander III. cum in Concilio Lateranensi ejusmodi promissiones sublatæ fuerint, appellationem istam attendendam non esse, quod minus beneficia personis idoneis conferantur.

Notandum. Adversus collationem beneficij, aut prælaturæ, ne ea fiat, appellare non potest is, cujus non interest, seu qui jus in beneficio non habet; cum enim in casu hujus capituli promissio beneficij secundum Canones irrita fuerit, debet nullum ex ea jus constitutum esse, consentiens *L. 1. ff. de appellationibus recipiendis.*

CAPITULUM IV.

Proposuit.

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. Papa mandaverat Præposito, & Capitulo Cameracensi, ut Iterum Presbyterum reciperent in Canonicum, & præbendam proximè vacantem, quæ ad ipsorum collationem pertineret, eidem assignarent, constituto executore Decano. Verùm cum Capitulum in recipiendo Tito contumax esset, Decanus eundem de præbendâ proximè vacaturâ auctoritate Apostolicâ investivit. Post mortem Decani vacavit præbenda, quam Capitulum alteri contulit.

tulit. Ea propter Titus ad Cælestinum III. accessit. Is, quod à Decano factum erat, ratum habuit, ideoque collationem Capituli alteri factam cassavit, Titum vero per annulum investivit. His relatis Innocentio III. Cælestini Papæ Successori, respondit is, licet per plenitudinem potestatis Papalis de jure possit supra jus dispensare, tamen nolle se investituram de præbenda vacatura, quæ à Decano contra Canonum statuta facta est, habere ratam. Veruntamen, cum dictus Presbyter à Cælestino Papa non de vacatura, sed præbenda vacante investitus fuerit, eò quod præbenda, postquam Capituli collatio irrita declarata fuit, vacasse censeatur, iisdem mandat Capitulo, ut amoto quolibet præbendæ detentore eam Tito cum plenitudine honoris Canonici assignet.

SUMMARIUM,

1. Collatio præbendæ irrita est, si fiat alteri, quam Pontifex mandavit, conferendo Canonicatum.
2. In beneficalibus Papa censetur agere secundum plenitudinem potestatis, quando agit contra statuta Canonum.
3. Investitio in beneficio absenti facta, & admissa tribuit quidem jus in re, non tamen possessionem.

Notandum primum, Si quispiam auctoritate Apostolicâ Canonicus creatus sit cum expectatione præbendæ proximè vacaturæ, eaque postea vacans alteri conferatur, irrita est collatio hæc. *c. si postquam 13. de præbendis in sexto.*

2. Notandum secundum. Papa etiam in beneficalibus censetur agere secundum plenitudinem potestatis, sive secundum potestatem suam non ordinariam, sed absolutam, quando contra statuta Canonum agit, videlicet, ut quis investiat super præbendâ vacaturâ: quia tamen talis dispensatio, seu Canonum relaxatio odiosa est, ideò ea non facile utitur Pontifex; & universim

loquendo, quod Papa, aut Princeps quilibet in dubio censendus non sit secundum potestatis suæ plenitudinem agere adversus jura, *ex hoc cap. colligitur, & ex communi tradit Gaill. lib. 1. observatione 14. n. 5.* contra jura, intellige propria; seu, quæ ipsi tanquam legislatori subjecta sunt, nam Princeps est supra jus, prout videre licet apud Petrum Antonium de Petra *in aræ. de jure consueti non tollendo per Principem c. 27. n. 1. & c. 28. n. 1.* at verò contra jura naturalia, aut divina Princeps, ipsèque Papa dispensare non potest, quæ de re dixi *in lib. 1. tra. 4. c. 22. n. 3.* & videri potest Petra *in cit. tra. c. 24.*

Notandum tertium. Investitura, seu institutio in beneficio, quæ in absentia rei fit, per annulum v. g. tribuit tantum titulum, seu jus in re, non item possessionem corporalem. Ita limitur *ex hoc c. & docui in disp. de Prælati. g. 114.*

CAPITULUM V.

Quia diversitatem.

PARAPHRASIS.

Eboracensis Archiepiscopus accedens ad Innocentium III. Papam questus fuit, tamen ad ipsum in Ecclesijs Diocesis suæ collatio præbendarum, & confirmatio electionum pertineat, tamen tempore suspensionis suæ, & postea, quosdam sine auctoritate ipsius intrussisse se, in præbendas, & Prælaturas, confirmatione, & benedictione suâ non acceptâ: idcirco Papa Legato suo à latere mandat, ut illos, qui præbendas, vel dignitates ad Archiepiscopi provisionem spectantes, absque ejusdem auctoritate, in ijs Ecclesijs acceperunt, ad earum resignationem, præviâ monitione, per excommunicationis censuram, & aliorum beneficiorum subtractionem, appellatione remotâ, compellat, non obstante confirmatione, si quæ à Sede Apostolicâ obtenta fuit, in forma communi, per quam beneficia,

cia, & præbendæ confirmantur, sicuti justè & pacificè possidentur; præterquam, si aliqui, vel ex speciali Sedis Apostolicæ mandato, vel ex decreto Concilij Lateranensis per devolutionem ad alium collatorem, juxta c. 2. hoc tit. beneficia adepti sint. Veruntamen in semestri tempore, quo collatio beneficiorum fieri præcipitur, ne alioquin potestas pro ea vice conferendi aliò devolvatur, tempus suspensionis computari non debet; nam constitutio ea Lateranensis contra negligentes promulgata est, suspensus autem, & si velit, tamen non potest beneficia conferre. Neque enim verò, quia ob culpam suam suspensionis contraxit, ideo ad Capitulum devoluta est collatio, sed ad eum tantum tempore suspensionis ipsius spectare debet conferendi jus, qui etiam non existente collatoris negligentia conferre potest: sed neque tempus illud, quo Archiepiscopus ad Sedem Apostolicam accessit, apud eandem remansit, & recessit, in semestri spatio computari debet. Denique tempus semestris non à die vacationis præbendæ, sed à die notitiæ ejus computari debet.

SUMMARIUM.

1. Intrusus quis dicatur.
 2. Aclus, qui de jure non subsistit, non redditur validus per confirmationem in forma communi factam.
 3. Præfixum in jure tempus non currit impedito facti vel juris impedimento.
 4. Episcopo ob excommunicationem impedito à collatione beneficij devolutio fit ad Pontificem.
1. Notandum primum. Qui beneficij Ecclesiastici possessionem, vel administrationem usurpat sine auctoritate ejus, qui conferendi jus habet, dicitur intrusus. De hoc etiam habetur c. 2. de institutionibus.
2. Notandum secundum. Confirmatio in forma communi non reddit validum a-

ctum, qui de jure non subsistit. Nam confirmatio supponit esse, quia non entis non est qualitas; & confirmatio non est sine subiecto. Ita etiam docui in tit. de confirmatione utili, & inutili.

Notandum tertium. Tempus à jure præfixum non currit impedito, facti vel juris impedimento. Id verò intelligi debet, si tempus definitum sit in odium negligentis, prout explicavi in disp. de Prælato q. 11. secus autem dicendum, si tempus definitum sit ob merum alterius favorem, arguuntur. L. genere ff. de his, que notantur infamia.

Corollarium. Tempus semestris, intra quod beneficia conferri debent, juxta c. 2. hoc tit. non currit ignorantia vacationem, quandoquidem is, qui ignorat, negligens, aut culpabilis dici non potest, prout annotavit. Gl. in c. 3. v. numerandum. de præbendis in sexto.

Notandum quartum. Si Episcopus, vel Archiepiscopus propter suspensionem, vel excommunicationem beneficia conferenda possit, non fit devolutio potestatis ad Capitulum, vel Metropolitanum, sed ad Pontificem pertinet interim Ecclesijs providere. Consentit c. 1. ubi id explicat Gl. in notandis, de supplenda negligentia Prælatorum in 6. Quare si Papa non provident, & Episcopus à censurâ liberetur, ex eo tempore integrum semestris tempus habere debet ad conferendum, ut ante ejus lapsum ad Capitulum devolutio non fiat.

Intellige autem hæc, si potestas providendi ad Episcopum solum spectat; secus autem est, si ad Episcopum, & Capitulum simul, c. unicum. ne sede vacante in sexto.

CAPITVLVM VI.

Cum nostris

PARAPHRASIS.

Significatum fuit Innocentio III. Præposituram Ecclesiæ Laufanensis tanto tempore vacasse, ut secundum Lateranensis Concilij constitutionem ejus collatio ad Pon-

Pontificem esset devoluta, eapropter Papa Episcopo, & Canonicis Ecclesiæ Lausanensis mandavit, ut dictam præposituram thesaurario Lausanensi conferrent, executores etiam super ea re constituens. Sed Episcopus, & Capitulum responderunt Pontifici, Præposituram non vacare, quia licetis, qui antea, præpositus erat, in Episcopum Ecclesiæ Sedunensis electus fuisset, tamen post consecrationem suam denuò à Canonicis cum assensu Episcopi Lausanensis ad Præposituram electum fuisse, eamque, uti antea, ab ipso possideri. Verùm hoc ipsum executores dicebant esse Juri Canonico repugnans, & ideo, eo non obstante, se Præposituram, tanquam de jure vacantem, thesaurario contulisse. In hac controversia Innocentius III. auditorem dedit, qui decrevit, quod ab executoribus actum est, videlicet collationem thesaurario factam non subsistere; propterea, quòd literæ per thesaurarium à Sede Apostolica impetratæ subreptitiæ fuerint, propter suppressionem veri, & suggestionem falsi; quandoquidem Præpositura de facto non vacabat, constat autem, possessionem plus facti habere, quam juris. Porro Innoc. hanc auditoris sententiam approbat, & mandat Episcopo Basiliensi, & Abbati S. Mariæ, ut, nisi Episcopus Sedunensis ostenderit, sibi vel ex speciali Sedis Apostolicæ indulgentiâ, vel ex alia justâ, & necessariâ causâ Præposituram post consecrationem suam collatam fuisse, ipsum ad resignationem ejus, si sponte noluerit, compellat. Deinde Capitulum Lausanense ad eandem Præposituram thesaurario conferendam inducant.

SUMMARIUM.

1. Etiam in electivis beneficijs sex mensium spatium, inter quod conferri debent, locum habet, exceptis Præbendis cathedralibus & regularibus,

2. Non vacat Episcopatus per affectio- nem alterius dignitatis, vel personatus.
3. Collatio tamen Episcopo facta de inferiore beneficio, ordinariè irrita est.
4. In rescripto super beneficio, de jure vacante, à Pontifice obtinendo, debet fieri mentio possessionis de facto ab alio obtenta, quamvis hac colorata tantum sit.
5. Neque enim absolutè vacare censetur beneficium, cujus alter adhuc possessionem coloratam obtinet.
6. Et hinc cum bona fide, & legitimi temporis decursu per remedium extraordinarium præscriptionis titulus etiam in beneficio tali acquiri potest.
7. Ita ut conferri tale beneficium non possit, in cujus coloratâ saltem possessione alter est, nisi hoc prius citato, cognitio saltem summarie habeatur.

Notandum primum. Constitutio Concilij Lateranensis relata in c. 2. hoc tit. ne beneficia ultra 6. menses vacent, alioquin collatio eorum ad alium devolvatur, locum etiam habet in beneficijs electivis, exceptis Prælaturis cathedralibus, & regularibus; harum enim vacatio tempore trimestri definitur, sicuti suprâ dixi.

Notandum secundum. Episcopatus non vacat per adeptionem alterius dignitatis, vel personatus. Ita sumitur ex hoc c. & docui lib. 4. tit. 2. c. 8. n. 3. & notavit hic Abbas n. 4. Ratio est, partim quia in materia odiosa nomine generali dignitatum, & personatum, Episcopatus ob specialem prærogativam, & excellentiam comprehendendi non censetur in c. de multâ 28. de præbendis. partim quia Episcopatus propria auctoritate renunciari, aut deseri non potest, 2. de translatione Episcopi, sed neque à Papa renunciatio recipitur, nisi ex causis certis, quæ exprimuntur in c. nisi cum pridem 10. de renunciatione.

Notandum tertium. Episcopo, ordinariè loquendo, beneficium conferri non potest, ideoque irrita censetur collatio, sicuti ex

Bb

ti ex

ri ex hoc Capitulo colligitur, & ex cap. cum in cunctis 7. §. cum vero de electione. & docui in cit. c. 8. n. 4. Excipi tamen debet, nisi vel Papa specialiter dispense, vel iusta, & necessaria causa postulet, ut Episcopo v. g. exulanti, vel redivus sufficientes non habenti beneficium aliud, alioquin incompatible, conferatur. *argum. hujus textus.* & tradit Abbas hic n. 7. & 15. & docui in supra cit. loco.

4. Notandum quartum. Si beneficium tanto tempore vacet, ut ob negligentiam inferiorum collatorum ejus collatio ad Papam devoluta sit, impetrari potest apud Sedem Apostolicam. Veruntamen licet de jure vacaverit, si tamen defacto non vacet, quia alius est in possessione, eaque colorata, in hoc casu necessarium est, ut hujus rei mentio fiat in rescripto, alioquin subreptitium censetur; tunc autem dicitur possessio colorata, si quis institutus sit à legitimo collatore, & institutio notorie irrita non sit, ut in casu hujus cap. ubi Episcopo Sedunensi Præpositura collata fuit à Capitulo, assentiente Episcopo Lausanensi, sub pretextu iustæ, ac necessariæ causæ. At verò si propria auctoritate, seu absque legitimi collatoris consensu, beneficium quis accipiat, pro intruso, & manifestè injusto possessore habendus est, ideòque hujus possessionis in rescripto mentionem fieri necesse non est; eadèmq; ratione, si collatio facta sit alicui manifestum defectum habenti, ita, ut collatio notorie irrita sit, tunc colorata possessio dici non potest, prout Abbas hic tradit n. 23.

Addit verò non improbabiler Innoc. hic n. 1. si collator beneficium conferat alicui, qui per se habilis est, videlicet Clericus, sed per accidens, quamvis notorie inhabilis, v. g. irregularis, quòd devolutio collationis non fiat ad superiorem ratione negligentia secundum constitutionem Lateranensem, sed ratione delicti, quia indigno facta fuit collatio c. cum in cunctis. cit. §. Clerici sane de electione, & dixi de hoc in disp. de Prælatiis c. 9.

Notandum quintum. Beneficium absolute loquendo non dicitur vacare, si Clericus in ejus possessione colorata sit, tamen si jus, ac titulus ejus non subsistat, propter occultum defectum, Ratio est, quia vacatio carentiam possessionis significat, possessio autem magis in facto, quam in jure consistit, ita tamen, ut si notoriam injustitiam habeat, in jure plerumque non attendatur, juxta ea, quæ docui lib. 3. tra. 1. de justitia c. 8.

Corollarium 1. Clericus cum bona fide, & legitimi temporis decursu beneficium possidens, quamvis institutio ejus reverè non fuerit Canonica, seu legitima, via prescriptionis illud acquirere potest, prout hic rectè observavit Panormitanus n. 6. ubi ait, quòd possessio in beneficalibus haberi possit absque justo titulo; & ideò falsum censeri debet, quòd aliqui dixerunt, possessionem beneficii Ecclesiastici necessario involvere titulum, seu causam proprietatis. Quæ de re dixi in disp. de restitutione spoliatorum. Neque obstat his c. 1. de regulis juris in 6. beneficium Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonica obtineri; id enim verum est ordinariè loquendo, non ideò tamen exclusum censeri debet extraordinarium usucapionis remedium.

Corollarium 2. Verba narrativa in rescriptis beneficalibus, quippe ambigua, verificari debent, non tantum de jure, sed etiam de facto. Ita Gl. hic v. non vacare. Sed arbitror, hic maxime attendendum esse, ut verba accipiantur, sicuti communiter accipi solent, & ita ponantur in supplicatione, ut statum rei Pontifex sufficienter intelligat; si enim aliquid non exprimitur, quòd si cognitum fuisset, non ita facile Papa, vel non tali modo concessisset, aut contulisset, rescriptum obreptitium est c. super litteris 20. de rescriptis idque evenit in proposito casu, quia Pontifex non facile, & absolute thesaurario Præposituram contulisset, si scivisset, Episcopum in pacifica, & colorata ejus possessione existeret.

iv. Idque verum censei debet, tamen si in rescripto executionis dictæ appositæ sit clausula: *qualiber injusto detentore amovetur*: quia, ut Abbas hic monet, quæ apponuntur in litteris executoribus, non confirmant rescriptum adversus vitium subreptionis.

6. Notandum sextum. Beneficium, in cuius coloratâ possessione aliquis existit, non potest alteri conferri, nisi prius ipso citato, & præcedente summaria cognitione causæ callatus sit color possessionis, sive ejus injustitia ostensa. Ita sumitur *ex hoc c. & exc. licet Episcopus 28. de prabendis in 6.* & admonet hic *Panormit. n. 23.* ubi addit, secus esse dicendum, si possessio manifeste injusta sit, tunc necessarium non esse, in impetratione, aut rescripto mentionem ejus fieri.

Notandum septimum. Ex justa causa superior à Clerico suo beneficij possessore exigere potest, ut ejus titulum, & jus exhibeat, si videlicet jura possessioni ejus resistere videantur, ut quia incompatibilia beneficia tenet. *c. 3. de officio ordinarij in sexto.* vel si jus commune resistat, quia nimiam pluralitatem beneficiorum, aut quia Episcopatum quis obtinet, quo cum alia beneficiis spectato jure ordinario, non consistunt, ut in casu hujus Capituli.

CAPITULUM VII.

Post electionem.

PARAPHRASIS.

Archidiaconatum Richemundiæ vacantem Eboracensis Archiepiscopus contulit Magistro Honorio, mandans Capitulo Eboracensi, ut ipsum reciperet; sed Capitulares parere recusârunt, quia Antecessor Innocentij III. Capitulo privilegium concessit, ut canonicorum, & personarum ordinatio, & collatio ad Archiepiscopum spectaret, ita, ut secundum antiquam ejus Ecclesiæ consuetudinem idoneam, & honestam personam Decano, & Capitulo ad præbendam, vel digni-

tatem vacantem præsentaret. Sin autem contra consuetudinem aliquis introductus esset, pro Canonico, aut Persona non agnosceretur. Deinde si Archiepiscopus intra tempus sex mensium non conferret, Capitulum, Apostolicâ auctoritate, collationem faceret. Quia itaque contra hoc privilegium egisse videbatur Archiepiscopus, quandoquidem in litteris Capitulo directis, nulla Decanij mentio fiebat, idèd Capitulares mandatum exequi noluerunt; atque existimantes Archidiaconatus collationem, tum propter privilegij Apostolici tenorem, ad Capitulum esse devolutam, Romanum de S. Cadmundo Archidiaconum fecerunt, investientes eum, & solenniter installantes; pro esu verò temporis idem Archiepiscopus, postquam M. Honorius cum juramento Archidiaconatus, prout referebatur, renuntiavit, eandem dignitatem contulit dicto Romano, qui proinde tum ratione hujus, tum ratione antecedentis collationis à Sede Apostolica confirmationem petivit. His ita propositis Innocentius III. pro Magistro Honorio respondit, quandoquidem Archiepiscopus ipsi Archidiaconatum primitus contulit, idèdque dignitas ista, seu personatus, cum vacaret, secundum jurisdictionem, nec debuit, nec potuit in alium transferri, idèd supra dicto Romano, qui contra justitiæ regulam Archidiaconatum alterius affectavit, silentium in hac causa imposuit, decernens, ut collatio M. Honorij, facta ab Archiepiscopo Eboracensi, effectum fortiretur. Veruntamen, si super renunciatione juratâ, vel alio quopiam aliquis adversus Honorium querelam habuerit, judiciario ordine experiri deinde poterit.

SUMMARIUM.

v. *Capitali nomine etiam Decanus comprehenditur.*

B b 2

2. *Nullus*

2. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur, quamvis ha sint inter se contraria.
3. Qui sciens alteri collatum beneficium, sibi conferri permittit, inhabilis fit ad hoc ipsum beneficium postea, si vacet, obtinendum.
4. Renunciatio beneficij, cui utiliter obijciatur?

1 Notandum primò. Nomine Capituli comprehenditur etiam Decanus, cum sit pars præcipua Capituli, pars autem in toto continetur. Ita *Gl. hic v. mentio*. Et sumitur ex isto c. secundum integram ejus lectionem, cum enim rescriptum datum M. Honorio oppugnaretur, quòd in eo mentio Decani facta non esset, à quo investiri deberet, defendit se Honorius, eamque defensionem approbasse videtur Pontifex, quòd licet in literis Archiepiscopi Capitulo directis expressa mentio facta non esset Decani, non tamen exclusus videri poterat. At verò Prælatus nomine Capituli comprehendendi non solet, sed Capitulum, & Episcopus, Conventus, & Abbas tanquam disparata, & unum in altero non contenta communiter accipiuntur, secundum *Gl. receptam in Clementinam ut ij. de arate & qualitate*.

2 Notandum secundò. Tamen si agendo, sive petendo in judicio non possit quisquam se fundare super diversis causis, seu titulis *L. 1. ff. de servo corrupto*, potest tamen se defendendo juxta *L. nemo & ff. de exceptionibus. & juris regulam 20. in 6. nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. tamen si ea inter se contraria sint*, inquit *Gl. ibidem. v. g. privilegij & præscriptionis*, ita, ut si Abbas v. g. defendendo possessionem exemptionis suæ per privilegium contra ordinariū Diecefanū in probatione succumbat, postea per præscriptionem defendere se possit *c. auditis 15. de præscriptionibus & tradit Gl. in L. contra 16. L. de inofficioso testamento*, quòd habens duas exceptiones, si in una succumbat, ad alteram transire possit. Idquè sumitur ex hoc c.

quando Romanus contra M. Honorium se defendens, non tantum collationem Capituli, sed etiam, si ea fortè minus valida conferetur, Archiepiscopi collationem allegavit, & à Pontifice confirmationem petivit.

Hinc Abbas n. 5. colligit cautelam, ut si dubites de valore factæ tibi collationis, novam à Sede Apostolica provisionem petas non ideo enim censuris renuntiare collationi primæ, aut eam irritam fateri, cum te per utramque defendere possis contra aduersum.

Notandum tertio. Si beneficium collatum sit, & postea alteri collatio fiat, ea irrita est. Imò secundum *Gl. hic v. renunciationem* qui beneficium alteri collatum scienter accipit, inhabilis ad illud redditur, ita, ut sine dispensatione postea obtinere non possit, etiamsi vacet, prout etiam dixi in *cap. 1. in fine hoc tit.* Sin autem aliquis per ignoracionem, & bona fide à legitimo collatore beneficium non vacans accipiat, petere deinde potest, ut beneficium quodcumque vacans sibi ab eodem conferatur secundum *Gl. in c. 3. v. in alia causa 7. q. 1. & signatur in c. inter 17. de præbendis*, quòd conferens alicui præbendam, quam non potest, eà evidètia, aliam, quam potest, conferre teneatur; idque ex Canonica quadam æquitate, quia adjuvati nos, non decipi beneficio oportet *L. in commutato 17. §. antepenult. ff. commodati*.

Notandum quarto. Clericus, cui beneficium à legitimo collatore collatum est, potest agere judicio possessorio ad ipsius possessionem, nec possessio beneficij obijcere ei potest renunciacionem, si fateatur, renunciacionem factam fuisse, posteaquam sibi beneficium collatum erat; cum enim per taleni collationem beneficij non vacantis, nullum ipsi jus acquiri poterit, repellitur exceptio ejus, tanquam cujus nihil interest, prout *Gl. hic* admonet *v. renunciacionem*. Et sumitur ex *c. olim. 25. de rescriptis in fine*. Ex quo habetur, quòd non propterea, quia in controversia beneficiaria

litigans ostendit alteri litiganti jus in beneficio non competere, hinc evincit, jus sibi competere, cum fieri possit, ut neutri competat; quam ob rem usitatum est, ut litigans in tali casu impetrare possit à Papa gratiam provisionis novæ in forma *si neutri*. Veruntamen, si notorium fuisset, M. Honorium sponte renuntiâsse beneficio, tunc Papa non mandâisset collationem ipsi factam executioni mandati, propter vitium intrusionis vitandum, prout constat *ex c. 2. de causa possessionis & proprietatis*. Sed quia de hoc non constabat, & renunciatio liberè facta non præsumitur, & difficilius probationis esse solet, ideo Pontifex mandavit in possessorio adipiscendæ pro Honorio esse pronuntiandum, reservata quæstione proprietatis, si propter factam renunciationem, aliæve causam quispiam legitimè experiri vellet. Alioquin verò agentis possessorio adipiscendæ obstare solet exceptio defectus proprietatis, si ejus probatio in continententi faciendâ, ab adversario, seu possessore (dummodo jus opponendi se habeat) offeratur. *L. 3. §. ibidem ff. ad exhibendum & tradit Gl. communiter recepta in c. 1. v. contentionem de restitutione spoliatorum*. Secus autem est, si exceptio, quæ obijcitur, alioris indaginis esse videatur, sicuti paulò antè dixi.

CAPITULUM VIII.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter C. Clericum, Episcopum, atque Capitulum Ecclesiæ Tridentinæ; petebat enim Clericus præbendam sibi assignari, eò quòd in Canonicum ejus Ecclesiæ Cathedralis assumptus fuisset, sed Capitulum excipiendò proposuit adversus Concilij Lateranensis constitutionem receptum fuisse. Verùm Innoc. definiendo respondit: cum id à Capitulo probatum non fuerit, imò verò allegando proprii facti turpitudinem, in hoc ca-

su audiri non debeat, ideo dicto Clerico in eadem Ecclesia, cum primum se occasio obtulerit, præbendale beneficium conferendum esse, quia receptus in Canonicum præbendâ diu carere non debet.

SUMMARIUM.

1. *Potest agere contra Capitulum de præbendâ sibi tribuendâ, cum occasio fuerit, si quis in Canonicum receptus sit.*
2. *Propriam turpitudinem allegans audiri non debet ordinariè, & nisi casus suos excepti.*

Notandum primò, Receptus in Canonicum potest agere contra Capitulum, ut provideatur sibi de præbendâ, cum se occasio obtulerit. Ita *Innoc. hic & Abbas v. 6*, nam Canonico debetur præbenda. *c. relatum 9. de præbendis*. Itaque habet jus, & actionem ad eam petendam; neque obstat, si quis obijciat, si obligatio sit contracta sub conditione, ante ejus eventum actionem non competere. *S. ex conditionali. Institutis de verborum obligatione*. Hanc autem videri obligationem sub conditione, si beneficiû vacaverit &c. Respondeturenim, obligationem à Capitulo contractam non fuisse conditionalem, sed puram, & absolutam, licet ad exequendû obligationem facultas, seu occasio requiretur, quæ fortasse se antè obtulerat, & tamen vel verbo, vel re ipsa, seu conferendi omissione Capitulum negabat, Clerico præbendam deberi; & ideo agere potuit, & petere, ut contra Capitulum judicaretur: nisi dicere malis cum *Innoc. hic*, Clericum istum petivisse certam præbendam, quæ cum alteri jam collata fuerit, Pontifex eam collationem ratam quidem habuit, propterea, quòd receptio in Canonicum, facta à Capitulo, non afficiat præbendam proximè vacaturam, quò minus valeat collatio, si alteri fiat; nihilominus Pontifex ex officio, & proprio motu, licet ad hoc non ageretur, judicet.

Bb 3

dica-

dicavit, Clerico dicto aliam præbendam, oblatâ occasione assignandam esse.

2 Notandum secundò. Allegans propriam turpitudinem audiri non debet. Ita hic Papa respondit, exceptionem Capituli obijcantis, quòd Clericum receperint per gratiam expectativam vacaturi Canonici, & ideo receptio, seu collatio irrita esse debeat, nequaquam admittendam esse, quia frustra legis auxilium invocat, qui comittit in legem. *c. quia 14. de usuris*, & nemo de improbitate sua consequetur actionem *L. itaque 12. §. sed furtis ff. de furtis. c. inter 8. de donationibus*. Sunt tamen aliquæ exceptiones, de quibus in *c. ex tenore 13. hoc tit.*

CAPITULUM IX.

Literas.

PARAPHRASIS.

H. Clericus Canonicus erat in Ecclesia Collegiata S. Wiscardi Bremensis; postea creatus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; ac demum consecutus Præposituram dictæ Ecclesiæ S. Wiscardi, cui Præposituræ præbenda canonicalis annexa erat; quia itaque prior canonicalis præbenda, quæ de jure vacare debebat, alteri intra tempus à jure definitum, collata non fuerat, sed eam Præpositus unâ cum altera, quæ Præposituræ annexa erat, retinebat, D. Clericus eam à Pontifice, quia ad ipsum juxta Lateranense Conciliū collatio devoluta fuerat, impetravit, constitutis super ea re executoribus; coram quibus comparens Præpositus allegavit consuetudinem generalem, secundum quam idem plures præbendas possideret; addiditque, Archiepiscopum Bremensem non tantum de Præpositura, sed etiam ipsa præbenda, cum Capituli consensu investituram fecisse. Executores, quid in hac causa agere deberent, Innoc. III. consuluerunt, si quis Clericus ad præbendam eligatur, utrum ea, quam prius habuit, vacare censeatur, an verò per sententiâ ei adjudicari debeat; & num forte

propter confirmationem Archiepiscopie stimandum sit, præbendam non vacare. Ad hæc respondet Pontifex, si res ita se habeat, sicuti executores retulerunt, præbendam, licet non de facto, tamen de jure vacare, & ideo Præpositum ad eam resignationem, remota appellatione, cogendum esse, & factâ resignatione, cum etiam defacto vacare incipit, Dorotheo Clerico conferendam.

SUMMARIUM.

1. Consuetudo, ut quis in eadem Ecclesia, & eodem recto plurimum uniformia beneficia obtineat, reprobatum.
2. Collatio, aut confirmatio beneficii, quæ manifestè contra Canones est, non tribuit coloratam possessionem.

Notandum primò. Licet per consuetudinem introduci possit, ut aliquis Clericus plures Canonicatus obtineat in Ecclesijs diversis, ea tamen consuetudo reprobatum, si in eadem Ecclesia, sive sub eodem recto plures Canonicatus, seu alia uniformia beneficia aliquis obtineat. Ita habetur hic & in *Clementina ult. de præbendis* ubi Glossa finalis singulariter admonet, quòd jura plus abhorrent à pluralitate præbendarum uniformium in eadem Ecclesia, quam à duobus beneficijs curatis in diversis Ecclesijs; quandoquidem hæc pluralitas concessa est, jure annexionis, si videlicet aliquis dignitatem, vel personatum curam Animarum habentem adeptus sit, cui parochialis Ecclesia unita, & annexa sit. *c. super eo 8. de præbendis in 6.* Sin autem præbendarius aut Canonicus personatum cum cura, aut sine cura adeptus sit, cui similis præbenda, aut Canonicatus, qualem antea habuit, annexus sit, prior Canonicatus & præbenda ipso jure vacat. Ratio est, quia talis imminutio numeri præbendarum cedit in diminutionem cultus divini, atque inde oritur, ut dum aliqui ex Clericis abundant, alij, qui æquè, aut magis idonei sunt, penuriam pati debeant.

Notandum secundò. Collatio, vel confirmatio beneficii, quæ manifestè est contra

in Canones, non efficit possessionem collatam, si quis vi hujus collationis instituat, quam ob rem hujus possessionis necesse non est fieri mentionem, in impetratione, aut recepto, pro beneficio, quod tanto tempore vacavit, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam devoluta fuerit. Ita colligitur ex hoc cap. & dixi hoc ipsum in c. cum nostris 6, hoc tit.

CAPITULUM X.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Astenſi quædam præbendæ canonicales amplius quatuor annis vacant, quas deinde Episcopus Clericis quibusdam contulit, sed instituti existimantes, collationem esse factam contra Concilium Lateranense, adeoque irritam, ad Archiepiscopum accesserunt, ab eoque aliam provisionem, & institutionem in præbendis impetrarunt; insuper etiam Capitulum Astenſis Ecclesiæ assensum dedit, ut in possessionem mitterentur, tribus tantum Capitularibus se opponentibus, atque dicentibus, quod neque Archiepiscopi collatio valeret, quia & ipse intra tempus 6. mensium, à Canone indultum, in conferendo negligens fuerit; sed pars altera Capituli replicabat, tempus semel non posse computari Archiepiscopo, nisi à tempore, quo de præbendarum vacatione cognovit. Postea autem utraque pars concorditer confessæ fuit, in Ecclesia Astenſi certum Canonicarum numerum non esse definitum, neque præbendas discretas. Quam ob rem Innoc. III. respondet, Concilij Lateranensis constitutionem de beneficiis ultra 6. menses vacantium devolutione in præbendis istis locum non habere, nihil obstante, quod fortasse Ecclesia Astenſis Canonicorum defectum passa fuerit; ideo Innoc. III. definit, collationes tam Episcopi, quam Archiepiscopi, quas jure devolutionis se fecisse existimaverunt,

irritas esse. Veruntamen, quia totum Capitulum institutos recipere desiderabat, tribus tantum se opponentibus, sed nihil rationabile afferentibus, ideo mandavit quibusdam, ut si Astenſis Ecclesiæ suppetant facultates, secundum hæcenus observatam consuetudinem, dictos Clericos pro Canonicis haberi curent.

SUMMARIUM.

1. Qui jure devolutionis beneficium confert, potest etiam in possessionem mittere.
2. Devolutio propter negligentiam ordinariorum collatorum, quomodo fiat?
3. Non est locus devolutioni, si determinatus numerus non sit in Ecclesia.
4. Unius etiam capitularis oppositio impedire potest, ne id decernatur, quod in Ecclesia damnum redundet.

Notandum primò. Qui beneficium confert jure devolutionis, potest etiam provisum in possessionem mittere, aut saltem mandare, ut in possessionem inducatur ab ijs, quibus ex cujusvis Ecclesiæ consuetudine, competit, quandoquidem introductio in possessionem est accessoria juri per Canonicam collationem acquisito. Prout hic Abbas annotat n. 1.

Notandum secundò. Collatio præbendarum Canonicarum quandoque pertinet ad solum Capitulum, tunc autem, si per 6. menses, capitulares conferre intermittant, devolutio fit ad Episcopum; ab hoc post 6. menses alios ad Archiepiscopum, ita, ut & ipsi 6. menses competant, numerandi à tempore notitiæ habitæ, de vacatione præbendarum; quam ob rem contra provisum auctoritate Apostolica jure devolutionis ad Sedem opponi potest, Episcopum, vel Archiepiscopum ignorasse electionem. Hac omnia colliguntur ex hoc cap. & intelliguntur ex ijs, quæ dicta sunt in c. 2. & in cap. quia 5. hoc tit.

Notandum tertio. Si in Ecclesijs, in quibus redditus ad communem Capituli mensam pertinent, numerus Canonicarum, & annexarum præbendarum determinatur.

minatus non sit, non vacat Canonicatus, aut præbenda per mortem, aut renunciationem Canonici, sed potius extinguitur, quam ob rem non est locus devolutioni ad superiorem propter negligentiam collationis. Ita hic habetur, & explicavi in *lib. 4. tra. 2. c. 16. n. 5.* ubi etiam docui, quod Prælatus, & Capitulum, aut Conventus regularis à Superiore compelli possint, ut recipiant tantum numerum Canonicorum beneficiariorum conventualiū, quantum spectatis Ecclesie cujuscunq; facultatibus commodè alere possunt; & in tali casu Superior præfigere potest terminum, intra quem ordinatio fieri debeat, cum enim à jure tempus definitum non est, terminus ab homine, seu Superiore definitus censetur instar termini à jure definiti.

Notandum quartò. Si quid contra Canones, aut quod Ecclesie noxium sit, in Capitulo, aut Conventu, aut Collegio quolibet decernendum sit, aliqui pauci, vel unus solus se opponere potest, ne decernatur, & specialiter quidem, ne extraneus aliquis se immisceat actibus Collegij, v. g. electioni, si ipsi tale jus non competat, prout colligitur *ex hoc c.* ubi id tradit *Gl. V. opponere, ex c. 1. de his,* quæ fiunt à majore parte Capituli: & docui in *disp. de Prælati, g. 69.* Ratio dari debet, quia cujusque capitularis interest, ut jura Collegij & Ecclesie suæ serventur.

CAPITULUM XI.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Episcopus Laudunensis Henrico Canonico facultatem concessit proximè vacaturam præbendam sacerdotalem conferendi. Postea Archiepiscopus Remensis Apostolicæ Sedis Legatus, eidem Apostolica autoritate præcepit, ut ad sacerdotalem præbendam, quæ proximè vacatura esset, unà cum Capitulo aliam personam non reciperent, nisi quam dictus Henri-

cus recipi vellet. Porro ut Henricus magis sibi caveret de hac facultate, ad Sedem Apostolicam iter arrepturus appellavit, ne præbenda sacerdotalis, quæ proximè vacaverit, alicui conferretur. Hæc cum intellexisset Innocentius III, scribit Laudunensi Episcopo, & Capitulo, atque mandat, ut eam personam, cui supra dictus Henricus præbendam proximè vacaturam conferendam existimaret, sine contradictione admittant; & Episcopus alteri, contra formam concessionis à se factæ Canonico Henrico, conferre non præsumat, alioquin irritum revocandum esse, si quid post appellationem à dicto Henrico interpositam attentatum fuit. Verum quia ejusmodi concessionem, si in exemplum traheretur, in Sacrorum Canonum fraudem fieri possent, quibus prohibetur, ne beneficia Ecclesiastica concedantur, aut promittantur, antequam vacent, ideo declarat Papa, nolle se, ut occasione hujus mandati specialem gratiam continentis, talis licentia aliquibus in fraudem abuti volentibus, concessa sit.

SUMMARIUM.

Non potest Episcopus concedere licentiam conferendi beneficii j vacaturi determinati.

Notandum primò. Non potest Episcopus, aliūve collator alicui concedere facultatem conferendi beneficia vacatura, sive, ut alijs verbis dicam, non potest Episcopus alicui delegate facultatem conferendi beneficia, nisi postquam vacant. Ita hic decrevit Innocent. III, & habetur in *r. deliberatione 4. S. prohibemus de officio Legati in 6.* Ratio dari debet, quia tali facultate quispiam abuti posset in fraudem Concilij Lateranensis. *c. 2. hoc tit.* Si enim aliquis certum beneficium nondum vacans consequi cuperet, subornaret amicum, qui ab Episcopo ejus conferendi facultatem impetraret; eaque amici benevolentia fretus mortem

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Inter Clericum *I.* ex una parte, & Abbatem, atque conventum de Bello ex altera parte, controversia erat, super ipsius Clerici provisione; quam causam Clericus actor à Pontifice impetravit quibusdam committi. Coram his post litem contestatam dictus *I.* scripturam Abbatis & Conventus produxit, in qua continebatur, quòd primò vacaturam Ecclesiam, quæ ad ipsorum spectaret collationem, ipsi conferre vellent; sed Abbas, & Conventus excipiendo dixerunt, hanc promissionem repugnare Concilio Lateranensi, ejusmodi expectativas irritas decernenti. Hoc intellecto Innocentius III. pro Abbate, & Conventu pronuntiavit, ac mandavit, ut Abbas, & Conventus ab impetitione Clerici absolveretur, ipsique silentium super hac causa imponeretur.

SUMMARIUM.

1. *Casus, in quo propriam turpitudinem allegans audiendus est.*
2. *Referuntur complures similes casus.*

Notandum, Licet allegans propriam turpitudinem sive agendo, sive excipiendo audiendus non sit, sicuti habetur *in c. cum super 8. hoc tit.* ne quisquam ex propria iniquitate commodum ferat *L. ita de mium 36. in principio. ff. de rjs, qui arbitrium &c.* & tradit Bartolus *in L. jusjurandum. §. procurator n. 5. ff. de jurejurando.* Fallit tamen hæc regula, si etiam actor in turpitudine versetur, eamque alleget, vel fateatur, tunc exceptio allegantis turpitudinem recipitur *L. 2. c. de conditione ob turpem causam. & regula 65. in 6. in pari causa, vel delicto melior est conditio possidentis.* Et hic est casus hujus Capituli. Cum enim Clericus paciscendo de

Cc bene.

mortem machinari posset beneficiario alicui ipse succedere cuperet. Excipe, quòd Episcopus, vel similis Prælati generali suo Vicario committere possit facultatem conferendi beneficia indeterminatè, & in genere, non autem determinatione beneficii, sive loquamur de determinatione personæ, prout fultus explicavi *in c. 2. de officio Vicarij in 6. & disp. de jurisdictione ordinaria concl. 99.*

Notandum secundò, Rescriptum Principis, quòd gratiam specialem continet, non efficit jus commune, neque in consequentiam trahi debet, ut alijs in simili casu idem concessum censeretur.

CAPITVLVM XII.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Morto Episcopo cujusdam Ecclesiæ, cum Canonici electionem differrent, Archiepiscopus existimans eligendi potestatem ad se devolutam esse, in Episcopum elegit Canonicum Guilielmum; id cum Innocentio III. per eundem Canonicum suggestum esset, respondit Papa, quòd Canon Lateranensis Concilij ad Archiepiscopatum, vel Episcopatum se non extendat, sed tantum ad personatus, & alia beneficia minora, & idèò postulate justitià se eam electionem cassare.

SUMMARIUM.

In materia odiosa nomine dignitatum non venit Episcopatus.

Notandum, In materia odiosa nomine dignitatum non comprehenditur Episcopatus, cum non sit simplex dignitas, sed culmen dignitatum *c. penult. de prabendis,* & idèò speciali expressione indigeat, prout etiam annotavi *in lib. 4. tra. 2.*

6. 4. n. 4.

beneficio proximè vacaturo deliquerit, reus conventus eum repellere potest, tamen ipse quoque ejusdem delicti particeps fuerit. Videri potest Georgius Eberhardus *tom. 1. Consilio 36. n. 40.*

Casus autem dicti Capituli: *cum super.* longè diverfus est ab isto, nam in eo Capitulo Clericus non fundabat se super promissione Canonici, sed nec eam confitebatur, ac proinde Capitulum allegans ejusmodi promissionem præcessisse, & idè factam à se collationem, de jure repelli debuit; at verò in casu hujus Capituli, Clericus actionem suam fundavit super promissione facta seu expectativa contra Lateranense Concilium, & idè propriam turpitudinem allegans repelli potuit à Capitulo, licèt hoc in pari delicto existeret.

2. Aliæ quædam exceptiones sunt, in quibus propriam allegans turpitudinem audiendus sit, videlicet si periculum animæ vertatur, aut de honore Sacramenti agatur, ut in causa matrimoniali *c. Tertio loco. 13. de præsumptionibus. c. consanguinei 11. de sententia, & re judicata.* vel si agatur de injusto damno alterius, maxime Ecclesiæ, vitando, ut si Prælati revocet alienationem rerum Ecclesiasticarum à se malè factam, allegans proprii delicti turpitudinem, quæ de re infra.

CAPITULUM XIV.

Acceden.

PARAPHRASIS.

Abbas, & Conventus promiserant alicui Clerico, se collaturos ipsi beneficium, quando potuerint; cum autem postea intermitterent, Clericus ab Innocentio III. iudices delegatos super ea re impetravit. Coram his comparentes Monachi exceperunt, quòd eà promissione non teneantur, quia facta sit contra Concilium Lateranense, quòd ejusmodi gratiæ expectatiæ irritæ declarantur. Hoc cognito responderet Papa, aliud esse,

si Prælati promittat, se beneficium collaturum, cum potuerit, & aliud, cum vacaverit, quandoquidem in pluribus casibus facultas conferendi offerre se potest, ita ut collatio non cadat sub expectationem beneficii vacaturi. Et idè mandat Pontifex, ut Abbas, & Monachi, cum potuerint, dicto Clerico beneficium Ecclesiasticum assignent.

SUMMARIUM.

1. Actio ex nuda promissione de jure Canonico oritur.
2. Mutata hujus Capituli constitutio per *c. 2. eodem in sexto.*

Notandum primò. Ex nuda promissione acceptata secundum forum Canonicum producitur jus, & actio, quæ de re dixi *in c. 1. de pactis.*

Notandum secundò. Episcopus, & Capitulum non prohibentur recipere Canonici cum promissione, quòd præbendam eis conferre velint, cum potuerint, aut cum occasio se obtulerit, partim quia hæc conditio, & obligatio de jure inest, & idè novam imponitur; partim, quia per eam promissionem non datur gratia expectativa beneficii proximè vacaturi, cum aliæ occasiones providendi se offerre possint, v. g. per novæ præbendæ creationem, aut præbendæ divisionem, prout hic notat *Gl. 1. casibus.*

Notandum tertio. Quòd hujus Capituli constitutio mutata sit *in c. 2. eodem in 6.* ubi decernitur, ut talis promissio conferendi beneficii, cum occasio se obtulerit, vel cum potuero, irrita sit, quia sub tali pollicitatione, tanquam pallio verborum, aperitur via ad promittenda beneficia vacatura contra Concilium Lateranense, & mortis alienæ votum ingeritur, Ecclesiæ, ac Prælaturis, & Personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur; idè prohibetur, & cassatur ibi quælibet talis promissio sub quovis modo, aut forma verborum de cætero fiat.

CAP.

Postulâstis.

PARAPHRASIS.

Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ consulit Innocentium III. si præbendarum collatio ad Archiepiscopum, & Capitulum conjunctim pertineat, & præbendas ultra 6. menses vacare contingat, utrum jus conferendi pro ea vice in solo Archiepiscopo permaneat. Ad id respondet Papa, in hoc casu neque ab Archiepiscopo ad Capitulum, neque à Capitulo ad Archiepiscopum, sed ad superiorem juxta Lateranensis Concilij constitutionem devolvi collationem; præterquam, si Archiepiscopus conferendi jus habeat cum Capitularibus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus. Quamvis etiam in isto casu, si dolosè impedierit, ne collatio fieret, dolus ei suffragari non debeat.

SUMMARIUM.

1. Beneficiorum collatio ad varios spectare potest.
2. Devolutionis materia locum non habet in casu dolosi impedimenti.
3. Episcopus ex gratia speciali etiam ut Canonicus Capitulo sua Ecclesia Cathedralis interesse potest.

Notandum primò. Beneficiorum collatio interdum pertinet ad solum Episcopum *c. 3. de institutionibus*. Interdum ad Capitulum solum *s. ex parte 10. hoc tit.* Interdum ad Episcopum, & Capitulum simul, ut hinc, & in *c. unico. ne sede vacante in sexto*. Interdum ad Prælatum inferiorem *c. ex tenore 13. hoc tit.* Idque propter Ecclesiarum consuetudines, aut privilegia. At verò spectato communi jure ad Episcopum pertinet collatio, & beneficiorum institutio *c. cum ex injuncto. 12. in fine de hereticis*.

2. Notandum secundò. Si collatio ad Episcopum, vel Archiepiscopum, & Capitulum simul pertineat, propter negligentiam

conferendi intra tempus legitimum devolutio fit ad superiorem ipsorum, cum enim tam Episcopus, quam Capitulum in culpa, seu negligentia sit, ut ponimus, neutra pars inde commodum reportare debet; sin autem Capitulum beneficia conferre vellet, sed ab Episcopo impediretur, hoc casu non currit Capitulo tempus semestre, quò minus etiam postea conferre possit. Sicut Joann. And. hic docet *circa Gl. ult.*

Notandum tertio. Episcopus, si ex gratia speciali etiam Canonicus sit in Capitulo Ecclesiæ suæ Cathedralis, tunc duplicem personam repræsentare potest, ut quibusdam actibus Capitularibus intersit, ut Episcopus, sive Prælatus; quibusdam verò, ut Canonicus. Quòd si tanquam Canonicus intersit, non sedebit primo loco, sed post Præpositum, vel Archidiaconum secundum Ecclesiæ cujuscunque consuetudinem, prout tradit *Gl. in c. à collatione 11. de appellacionibus in 6.* ubi similis doctrina continetur, si Episcopus collationi beneficii intersit, ut Canonicus, & ab ea appellatur, ad eundem, tanquam Prælatum appellari posse, *argum. L. 1. §. solent ff. quando appellandum sit.* Secus autem esse, si interfuit collationi tanquam Episcopus; cum enim ipse collationem fecerit, quamvis cum Capitulo, ad eundem appellatio tendere non potest, quemadmodum nec devolutio ob negligentiam fieri ad eundem.

Notandum quarto. Si superior per dolum impediatur, quò minus inferior collationem faciat, cessare debet devolutio, ne videlicet proprius dolus alicui patrocinetur, aut ex propria iniquitate aliquis commodum ferat *c. sedes 15. de rescriptis*.

CAPITULUM XVI.

Cum dilecto.

PARAPHRASIS.

Intellexit Honorius III. quòd Comitissa Flandrensis fecerit provisiones de beneficijs nondum vacantibus, & eorundem

Cc 2

præ-

præsentationem alijs commiserit, idè scribit Episcopo ac Præposito Cameracensi, & mandat eis, ut eas promissiones, & concessionis irritas declarent, atque inhibeant, ne talia in posterum attententur.

SUMMARIUM.

1. Jus patronatûs ad mulierem pertinere potest.
2. Ad quem jus patronatûs spectet annexum rebus dotalibus.
3. Neque facultas præsentandi concedi potest ad determinatum beneficium, si nondum vacet beneficium.
4. Quare hic omittatur explicatio Capitulorum in sexto h. tit.

NOTandum primò. Ad mulierem pertinere potest jus patronatûs, seu præsentationis ad beneficia; idque vel ratione foundationis, ædificationis, aut dotationis, quam ipsa fecit, & idè jus patronatûs proprio factò acquisivit, vel ratione successionis universalis, fidei commissi, aut successionis particularis, videlicet emptionis, donationis juxta varios juris patronatûs transferendi modos, de quibus dixi lib. 4. tra. 2. c. 13. n. 20. & videri potest Rochus de jure patronatûs. in definitione. V. ipse, vel is q. 6. Garzias p. 5. de beneficijs c. 9. n. 142.

2. De eo verò dubitant Doctores, si jus patronatûs annexum sit rebus dotalibus v. g. villæ, quæ à muliere marito in dotem data est, num jus præsentandi, constante matrimonio, ad maritum pertinere debeat, an ad uxorem. Pro uxore responderunt hîc Anton. & Abbas n. 8. quia uxor manet domina rerum dotalium, licet administratio, eaque plena, ad maritum spectet. *L. in rebus 30. C. de jure dotium.* Sed placet magis sententia contraria, quæ est Rochi cit. V. q. 28. Lambertini de jure patronatûs p. 1. lib. 1. q. 5. a. 8. Garzias n. 159.

quòd ad maritum pertineat præsentatio, cum ipse non sit merus administrator rerum dotalium, sicuti tutor v. g. rerum pupilli, sed secundum Juris civilis fictionem, dum matrimonium durat, veluti dominus censetur, secundum omnes effectus, & commoda, præterquam si aliqua restrictio in jure expressa reperitur, juxta *tit. L. in rebus junctâ Gl. v. naturali jure.*

Notandum tertium. Quemadmodum collatio beneficij non vacantis promitti non potest, sed neque ejus conferendi facultas concedi, ita etiam de præsentatione dicendum. Ratio dari debet, quia idem subest periculum, ne aliquis spe beneficij assumendi, ad quod se præsentandum, indebitè non repellendum, scit, beneficiario alicui insidietur. Cum hoc tamen non pugnet, quin Patronus, præsertim Laicus, generaliter committere alicui possit, tanquam procuratori suo facultatem præsentandi ad beneficia, si vacaverint, prout Joann. Andree, & Abbas hic admonet n. 6. dummodo id non fiat in fraudem; rationem dare debemus, quia id patrono nusquam prohibuitur in jure reperitur, nam versatur in materia permissoria, cum communi jure cullibet permissum sit generalem bonorum procuratorem constituere, propterea quòd usus procuratorum, cum dominus rebus suis interesse non potest, perquam necessarius sit *L. 1. ff. de procuratoribus. Quæ in eodem tit. lib. 6. decretalium* ponuntur Capitula, in ijs agitur de expectativis, gratijs, & collationibus beneficiorum per concursum, & præventionem papalem, quæ cum in Germania propter concordata inter Nicolaum V. & Fridericum Imperatorem sublata sint, idè ijs omisiss ad alium Titulum accedamus.

